

dulo meditatus , minime æquum arbitrabatur , Melitenses in Aegæum , mariaque Venetis insulis propinqua fese inferre ; in eorum navigia , licet infidelium mercibus onusta , inquirere ; eo & mercaturam & navigationem tolli . Itaque penitus illos ab excursionibus in Orientem intercludere , atque in Africam amandare animo agitabat . Navigium magnus Magister restitui jussit , atque ad Pontificem literas dedit , quibus inter cetera magis illi infidelium , quam Melitensium res cordi esse conquerebatur ; superiori bello Hierosolymitanas triremes Venetis præsto fuisse , Melitensi neque palam neque occulto a Republica adjutos esse . At Xystus , qui ea in re totius reipublicæ christianaæ negotium agi arbitrabatur , in sententia permanebat , ut ab Ionio , Aegæo , Hellesponto Melitenses abstinerent , Numidiam remotioraque loca peterent .

Cum vero in id maxime urgeret , ut omnium dissensionum causæ inter Principes præciderentur , Federico Cornelio , Cardinali , Venetas proficisci , Florentia iter habere jussit ; ut , cum Francisco colloquio habitu , navigationis controversias inter ipsum , ac Venetos componere admiteretur , præcepit . Is ad urbem accedens , quæ cum Magno Duce Xysti nomine egerit , Principi ac Patribus expositis , Leonardus Donatus Consilii , Aloysius Michaelius continentis Sapientes , qui cum Cornelio tractent , a Senatu leguntur . Sed neque tunc , ob varias ortas difficultates , quidquam confici potuit . Ceterum eo in primis Senatorum curæ & cogitationes convertebantur , ut cuncta , quibus pax turbari posset , amoverentur . Quamvis enim Amurathes adhuc Persico bello distineretur ; nihilominus decennio jam elapso , utrimque fessis attritisque viribus , verendum erat , ne tandem , uti crebris nuntiis afferebatur , bello finis impuneretur ; qua in re multa curiosa hominum disquisitione disferebantur . Erant qui , tantam jacturam ægre ferente Amurathe , ex veteri majorum instituto , ei nulla in re concedente , trahi bellum posse , arbitrarentur . Alii contra existimabant ; Demircapi , Testi , Carso , Vano , aliisque munitis arcibus (quod minime Suleimanus fecerat) captis , difficulter ea provincia pelli Amurathem posse ; quippe qui cum iis bellum gereret , qui munendarum expugnandarumque arcium ignari , parum tormentis , quibus hodie bella conficiuntur , valerent ; quantalibet ve-